



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

VI. Practicæ Resolutiones circa prædicta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

ire naturæ, non impleta conditione vim contractus non habet. Si conditio sit possibilis, & contra substantiam contractus, aliquando illum vitiat, ut cum resistit initio actus impediendo consensum; aliquando habetur pro non adiecta; si verò non sit contra substantiam, seruanda est in utroque foro. *Conditio nunquam nubendi?* Habetur pro non adiecta, in fauorem matrimonij. *Conditio contrahendi cum aliqua?* Valida est, si modò licitè fieri possit. *Conditio, si Religionem ingrediatur?* Etiam valida est. *Conditio, si castè vixerit?* Si apposta sit à marito, vel consanguineo eius, significat statum viduitatis; si ab extraneo, vel consanguineo viduæ, non prohibet secundas nuptias, significat enim illicitæ libidinis prohibitionem. *Conditio, si nupserit, relinquo ducenta: si non nupserit, & religionem ingrediatur, centum?* Intuitu boni finis, valere potest. Si quid tamen donaretur alicui, vel legaretur simpliciter sub conditione nuptiarum, dato quod Religionem ingrediatur, totum Monasterio debetur. Tertium præterea accidens est modus, qui quidem moderatio quædam est adiecta dispositioni, vel executioni. Si impossibilis sit, habetur pro non adiecto; si possibilis, tunc si censeatur tanquam causa finalis, dispositio nulla est, modo non impleto, si tantum tanquam causa impulsiva, valet etiam si non impleatur. Quartum, est causa, id scilicet, propter quod tanquam præsens, vel præteritum dispositio fit. Si causa subsistat, & dispositio facta est ob eam finaliter, non valet. Quintum, est demonstratio, hoc est appositio signi alicuius ad rem ostendendam; si constat de voluntate testatoris, in conscientia illi standum est; regulariter tamen valet dispositio, quando constat de re, & persona, cui fit, esto circa alia erretur.

CAPVT VI.

Praxis circa materiam de Contractibus in communi
ex Societatis IESV Doctoribus.

36. **R**ogo, an contractus ille vulgariter Mohatra, quando §. I.
quis egens pecunia, emit pecunia credita à mercatore De Con-
merces pretio summo, & statim ei pecunia numerata pretio in- tracti-
firmo reuendit: licitus sit? Notat Rebellus p. 2. lib. 9. q. 7. num. 7. bus.
in legibus Castellæ grauissimis pœnis prohiberi. Attamen Rebell.
iustus est, hisce seruatis: nullum pactum explicitum nec
implici

implicitum adhibendam. Pretium, quo venduntur merces, non sit maius summo; nec cum reuenduntur, non sit minus infimo; quia tunc iustum pretium tam in venditore, quam in reuenditore seruetur. At *Molina tom. 2. d. 310.* requirit vltimum, quod merces non vendantur ex intentione, infimo pretio reemendi. Porro *Salas tract. de empt. & vend. lib. 37. n. 4.* id non obstare asseruit: quia ubi nihil ultra sortem in pactum deducitur, nec speratur in pretium, aut debitum de iustitia pro mutuo, nulla est vsura, etiam si auctorum principaliter intendatur.

Molin.

Salas.

37. *In magna annona penuria licet ne à Turcis, & infidelibus emere frumenta aliòsque cum illis inire contractus? Mercibus permutandis, licet; quia tempore necessitatis commercium cum infidelibus non censetur prohibitum, uti Suarez asseruit.*

Suar.

Vasq.

38. *Pœna conuentionalis contractuum debetur ne in conscientia ante iudicis sententiam? Non, auctore Vasquez, si debitor non sit in mora culpabili, vel si non sit pœna moderata.*

39. *Promisit pupillus, vel minor viginti & quinque annis contractu inuito, se soluturum: num teneatur? Minime, sed certè exceptione legis ciuilibis se potest defendere, dummodo contractum iuramento non obfirmarit. Quid si pupillus soluit, non debens, creditori? potest ne creditor in foro conscientie rem illam retinere? Potest, donec beneficio legis ciuilibis ab eo repetatur. Quid si pupillus, aut eius nomine tutor rem aliquam indebitè solutam repetere velint, & propter negligentiam iudicis recuperare non possint? Compensationem aliquam seu clam, seu palam facere non prohibentur. Omnia ex*

Laym. *Laymano.*

40. *Est ne validus contractus, in quo ius naturale seruetur, etiam si desit iuris humani solemnitas? Ita planè, nisi lex ita irritet contractum, ut etiam dominij translationem impediat, ut à pupillo. Cui tamen iudex rem illam attribuet per sententiam, licitè illam retinebit. Molina Sic.*

Molin.

Sanch.

41. *Certum est contractum minoris iuramento validari, ut dixisti: rogo, num ad huiusmodi contractum iuramento firmatum aetas pubertatis requiratur? Quidam requirunt. Ego autem cum Sanchez doli capacem esse solummodo requiro.*

Saa.

42. *Maior cum minori contractum inuit, sine tutoris auctoritate: num uterque obligatur? Maiorem solummodo obligari docet Saa, minorique integram esse, non velle stare contractui.*

43. Contractus inicitur communiter, Reipublica quidem vi-
li, sed de eius valore ob aliquem defectum auocatur: num an-
nullandus? Condemnari, ex eodem Doctore, non debet, nisi Saas
aperte constet esse illicitum; cum praesertim Respublica ex
potestate, quam habet in bona communia, credenda sit sup-
plere, si quid tali desit contractui.

44. Cum quis dolo inducitur ad contractum spirituales, ut
Religionem, vel Matrimonium, tenetur ne implere? Tenetur
(vti Saas cum Syluestro affirmat) nisi dolus huiusmodi sit, vt Saas
eo etiam prudens decipi posset; tunc enim putandum de-
fuisse omnino voluntatem contrahendi. Porro in tempora-
libus esse contractum inualidum existimo, si ei dolus causam
dedit, vti supra.

45. Defuit contractui consensus: potest ne post tempus adhi-
beri? Potest, & consequenter contractum validare.

46. In contractus instrumento non exprimitur omnia ne-
cessaria adhibita fuisse contractui: num valius habendus?
Profecto tempus longum facit praesumi ei omnia necessaria
adhibita.

47. Pactum contra bonos mores est ne validum? Minimè
etiam si iuramento muniatur. Imò existimo cum Saas pactum Saas
contra bonos mores haud iuramento firmari.

48. Expende quaso, quandònam promissio obliget, quandò-
nam minimè obligare videatur. Obligat quidem promissio, §. 2.
nisi res sint ita mutatae, vt si cogitasses ita futurum non pro- De pro-
missis. Aut si non habuisti animum te obligandi, sed so- missione
lam proposuisti facere. Vix autem quis promittentiam obli-
gari intendit, nisi iuret aut instrumento stabiliat. Itaque cum
dicunt, *Faciam*, intelligunt, se facturos, nisi murentur; vo-
lunt enim libertate frui. Qui autem animum habet promit-
tendi, hoc ipso se obligat. Si tamen promissionem non im-
plet ex causa, quae sibi rationabilis videtur, non peccat mor-
taliter, nisi alioquin sequeretur scandalum, aut graue proxi-
mi damnum; tunc enim qui promisit, etiam de damno te-
netur, quo solo quidam asserunt promissionem ex iustitia
obligare: alioqui solum ex fidelitate, & sine restituendi obli-
gatione. Potest & quis promissum negare ei, qui quod sibi
promisit, non praestat. Item cum sibi est perniciosum praes-
tare; aut ei, cui promisit, inutile; aut is per ingratitude-
nem fiat indignus? aut si est promissio vi extorta, & non fir-
mata iuramento; aut si non est accepta; aut est de te illi-
cita, aut donatio lege prohibita, v. gr. Simoniacae, aut de sol-
uenda usura; aut si promissum sit (secundum quosdam) ei;

A a qua

Molin. qui sit denunciatus excommunicatus. Omnia ex *Molina*, & aliis.

49. *Peccat ne mortaliter, qui promissionem legitime acceptam non seruat?* Scio promissionem acceptam legitime dici, quando quis, cui aliquid promittitur, vel significat se acceptare: vel praesens tacet; quia in fauoribus qui tacet consentire videtur. Quo in casu respondeo ex *Vasquez* 2. part. d. 85. cap. 6. num. 4. mortaliter delinquere promissionis acceptae violatorem; quia laedit iustitiam legalem, quae ad humanam societatem seruanda esse promissa disponit. Atet

Vasq.

Meratij mente tom. 2. de iust. d. 19. sect. 10. probabile puto acceptam promissionem non seruante solum venialiter delinquere, si ex non seruata detrimentum aliquod graue tertio non adueniat; quia non seruare in promissis fidem, non contra iustitiam, sed contra fidelitatem est: mendacium quidem est, quod si perniciosum non sit, veniale erit.

Merat.

50. *Fi tam quis gerit promissionem: quodnam piaculum perpetravit, non obligat in conscientia?* Secluso damno emergente, minime, quia promissio est quaedam veluti lex, quam sibi promittens imponit; lex autem non obligat, si non vult legislator. *Sanchez de Matr.* tom. 1. lib. 1. d. 9. num. 5. At *Vasquez d. 6. de Matr. cap. 3.* docet promissionem externam alteri insinuatam naturalem inducere obligationem seruandi promissum.

Sanch.

Vasq.

51. *Obligat ne in conscientia promissio non acceptata, quam scio à iure civili irritam censeri?* Afferit *Sanchez* non obligare. At *Molina de iust.* tom. 2. tract. 2. d. 262. num. 16. obligare docet ratione iuris naturalis.

Sanch.

Molin.

52. *Scio aliquid mihi esse promissum, quod in iudicio postulare non possum: rogo an, in Molina praefata sententia, possim mihi occulte compensare?* Afferitur respondendum.

Molin

53. *Pauperi Ioanni promissi eleemosynam, possum ne inopi Petro tribuere?* Afferit *Sanchez Summ.* tom. 1. lib. 4. cap. 49. num. 6. te posse alteri egentiori dare. *An applicare mihi pauperi* Non; quia eleemosyna est omnino ad alterum. Ex eodem *Doctore.*

Sanch.

EX A